tur cruribus D F & F E angulum D F E in Triangulo D E F comprehendentibus; illud illi, hoc huic. Latus verò etiam A B lateri D E æquabitur; siquidem æqualibus angulis A C B & D F E opposita sunt ambo: cumq; C B & F E latera, item A C & D F æqualia sint invicem; erunt & anguli C A B & F D E, item anguli A B C & D E F æquales; & per consequens ex mente Theorematis ambo Triangula æquilatera & æquiangula.



Secus autem fit in exemplo altero, ubi anguli A C B & D F E æquicruri quidem sunt, quia crus A C cruri D F, crus C B cruri F E æquatur: at anguli A C B & D F E à cruribus illis comprehensi non sunt æquales; hic enim D F E, cujus crura ad majorem hiatum sibi mutuò abnuunt, illo A C B multò est major: unde & Basis illius D E, basi hujus A B multò major est. Utut verò etiam crura angulor. A C B & D F E inter se æquentur ita, ut prius dictum: variant tamen nihilominus anguli æqualibus cruribus utrobiq; oppositi, ideò scilicet, quia anguli priores æquicruri variant. Quantâ enim parte angulus D F E major est angulo A C B: tantâ parte uterq; F D E & F E D simul sumti minores sunt angulis C A B & C B A simul sumtis: siquidem *per superiora* utrobiq; Trianguli unius tres anguli æquantur tribus angulis Trianguli alterius.

II. Si duo unius Trianguli anguli duobus angulis alterius Trianguli sint æquales; unumq; latus (quod aut inter æquales utrobiq; angulos interjicitur, aut uni æqualium angulorum subtenditur) uni lateri æquale: æquiangula & æquilatera iterum erunt ambo Triangula.

In apposito Schemate angulus A C B Trianguli A B C æquatur angulo D F E Trianguli D E F: angulus item A C B an-

H gulo